



7

15 26
875

1709, 1

I. N. 7.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

CONSENSU PARENTUM

SUPPLENDO PER MAGI-

STRATUM IN NUPTIIS

LIBERORUM,

QUAM

PRÆSIDE

VIRO Nobilissimo, Consultissimo, Excellentissimoq;

DN. SAMUELE FRIDERICO

WILHELMO

J. U. D. Ejusd. ac Historiar. Prof. Gymnasiiq; Inspect.

Domino Patrono suo, Studiorumque Promotore,
omni pietate ac cultu ad cineres usq; devenerando

IN AUDITORIO MAXIMO

ANNO MDCCIX. d. XIII. JUNII

horis confvetis,

Publicè tuebitur

NATHANAEL Gottlieb GNOSPIUS,

GEDANENSIS.

KONFRIED
UNIVERS.
ZVBAHE

GEDANI, Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,

ATHENÆI TYPOGRAPHI.

Disp. XX.



L. M. J.
DISPUTATIO JURIDICA

CONSENSU PARENTUM

SUPPLENDO PER MAGI
STRATUM IN NUPTIIS
LIBERORUM

2 NAM

PRÆSIDIO

VIRI O. Nobilitatis, Consularis, Facultatis

DR. SAMUELIS FRIDERICI

DE JURE

IN P. B. ad H. Th. in C. in C. in C. in C.

Donno Petro, in C. in C. in C. in C.

in C. in C. in C. in C.

IN AUCTORIO MAKING

MAGNO MAGIS A LIT. P. M.

in C. in C.

in C. in C.

NATHANAL. GOSIUS

in C. in C.

GEDRUKT, Typ. JOHANNIS NACHMANNI, STOLLN.

ATHEMATA TYPOGRAPHIA

in C. in C.



Q. D. B. V.

De Consensu Parentum supplendo per Magistratum
in nuptiis liberorum.

I.

Statum hominis per matrimonium mutari, *Per matri-*
 nemo dubitabit, qui consideraverit, nupturientem *moniū sta-*
 egredi parentum familiam, educationem ac *tus hominis*
 regimen, sibi que suam familiam constituere, & cor- *mutatur.*
 poris, bonorum, juriumque suorum reddere participem al-
 terum conjugem suum, vicissim & hujus utramque fortunam
 in sese recipere, eumque antea sibi relictum jam velle vivere
 cum conjugē suo in individuam vitæ consuetudinem, vid.
 Henning. Arniseus *de Jure Connub. cap. 1. Sect. 3.* Ut igitur hæc
 status mutatio valeat, omnino necessarium est, quemq; cui ea
 accidit, consentire in illam, quia sine consensu nulla juris nostri
 translatio subsistere, nulla nobis alia conditio imponi potest.

II. Hinc Legibus humanis constitutum quoque est, ne *Nullum id*
 ullum valeat matrimonium sine mutuo contrahentium con- *est, nisi con-*
 sensu, qui declarandus verbis, factis aliisque signis externis, *sentiant*
 ut constat hoc tam ex jure civili Romano *L. 4. pr. & 11. ff. contrahen-*
de Sponsal. L. 15. ff. de Cond. & demonstr. L. 30. ff. de R. J. L. 8.
C. de Nupt. L. 48. §. 2. ff. de Edil. Edict. quam ex jure Canonico
c. 2. C. 27. qu. 2. c. 12. C. 29. qu. 1. c. 1. C. 30. qu. 2. c. 14. & 23.
X. de Sponsal. c. f. de Procur. in 6. aded, ut, ubi personæ princi-
 pales non consentiunt, illæ nullâ humanâ potestate conjungi,
 nedum liberi inviti à parentibus ad contrahendum matrimo-
 nium cogi possint, sed audiendi sint, si renuant & dicant,
 quod toto pectore avertentur personam, quam pater illis in
 matrimonium obtulit, ac constanter istum affectum conte-
 stentur,

A

stentur,

stentur, licet dissensus sui nullam causam allegare possint. L. 13. ff. de Sponsal. L. 12. C. de Nupt. Dedekenn, *Consilior. & Decis. V. 3. lib. 2. Sect. 4. n. 5.* Cypræus de Sponsal. c. 7. §. 7.

*An etiam
requiratur
Parentum
consensus.*

*Distinguo.
inter debi-
tum reve-
rentiæ &
nullitatem
matrimonii*

*Jure natu-
rali sine con-
sensu paren-
tum contra-
ctum ma-
trim. non est
nullum, sed
saltem con-
tra officium
reverentiæ.*

III. Quoniam verò status matrimonialis ad solos conjuges spectat, ejusque jura neminem alium quam personas illorum concernunt, certum est, etiam aliorum præter ipsorum conjugum consensum ad contrahendum matrimonium non requiri. Quod itaque parentum consensum attinet, duo maxime circa illum in nuptiis liberorum adhibendum in deliberationem veniunt, alterum an ex reverentiæ & pietatis officio liberi obligati sint, ut ad nuptias suas adhibeant parentum consensum; alterum an sine illo consensu ab illis per copulam & hierologiam contractum matrimonium essentiali suo requisito destituatur, & proinde dici possit nullum. De utroque vero aliter ex Jure naturali, aliter ex Jure Divino positivo, aliter ex Lege humana judicandum est, quia diversa ex diversis juribus resultat obligatio.

IV. Jure naturali matrimonium à liberis sine consensu parentum contractum subsistit, & propterea nullum aut irritum declarari nequit, quia principium habet, quod actui producendo addere potest validitatem, nam liberi eo tempore quo contrahunt matrimonium jam sunt maturæ ætatis & perfecti judicii, & idcirco moralem habent facultatem liberè agendi in iis, quæ nullam cum familia ex qua abeunt relationem aut convenientiam habent, sed agendæ vitæ suæ modum & genus concernunt, Hugo Grot. de Jure Bell. & Pac. L. 2. c. 5. §. 2. 4. & 10. Huber. *Prel. ff. tit. de R. N. §. 4.* Insuper leges familiæ & domus paternæ, quam egrediuntur liberi, amittunt obligationem suam, illisque impunè non amplius parent, utpote jam considerandi in statu naturali, in quo parentibus æquales sunt. Cum vero ex generatione perpetua pollulet obligatio, quâ liberi tenentur parentibus per

per

MAGISTRATUM IN NUPTIIS LIBERORUM. 3

per omnia obedire, illosque per totum vitæ cursum reverenter colere, si in tam gravi negotio, quod ad totam familiam pertinet, quale sunt nuptiæ, parentum consilium negligant, & irrequisito illorum consensu nuptias contrahant, in reverentiæ & pietatis officium graviter impingunt, fiuntque immemores beneficiorum paternorum, quæ & imprimis mollem ac liberalem educationem, quibus tamen omnem salutem suam & vitæ felicitatem debent, maxima ingratitude polluunt & adspernantur. Hinc concludendum: mero jure naturali ut honestum quidem & pium quid adhiberi à liberis in nuptiis suis parentum consensum, necessario tamen non ita eundem requiri, ut illi nulliter agerent, aut sine eo nuptiæ eorum non subsisterent. Gvilielm. van der Muelen. *ad Gros. d. §. 10. n. 2. Pufend. de Jure Nat. & Gent. L. 6. c. 2. §. 14. Gonzalez. ad X. iii. de deffons. Impub. c. 1. n. 5. Brouwer. de Jure Connub. L. 1. c. 5. n. 10. seq.*

V. Jure Divino positivo aliter statutum esse, & matrimonium absque consensu parentum contractum nullitatem incurrere, non pauci opinantur. Gerhard. *loc. Theol. Tom. 7. de Conjug. §. 59. seq.* Müller. *in der ungerathenen Ehe. P. 2. cap. 1. Carpz. Jurispr. Eccles. L. 2. def. 39. Bruckner. Decis. Jur. matrim. P. 1. c. 2. n. 21. seqq.* Harpr. *ad pr. J. de Nupt. n. 86. seqq.* Quoniam vero expressum textum, quo per modum præcepti istiusmodi matrimonium annullaretur, ex Sacra Scriptura non adducunt, sed talem argumentis & rationibus exinde petitis sententiam suam corroborant, ea penitus examinanda erunt, ut constet quid valoris aut momenti sententiæ huic afferant. Adducunt I. ex Jerem. *XXIX. 6.* ubi: *Date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris.* Verum his verbis Propheta nihil aliud indicatur, quam quod captivi Babylonix bono animo esse jubeantur, & momeantur, quia aliquandiu Babylonix sunt mansuri, ut ibi domus ædificent, nubant,

Idem etiam esse Jure Divino positivo, evincitur.



& liberis suis cum personis suæ gentis nubendi occasionem procurent. Si quid præcepti his verbis continetur, id erit parentibus dictum, nempe ut liberis suis prospiciant matrimonio, ut vero quoque liberis, ne nubant sine consilio parentum sub pœna annullationis, id dictum sit, nec litera nec sensus verborum indicat. II. Afferunt ex Exod. XXXIV. 16. Dent. VII. 3. hæc verba: *Non accipies uxorem filiis tuis de filiabus eorum. Filiam tuam non dabis filio Chananæi, nec filiam illius accipies filio tuo.* At hic quoque nihil de tanto jure patrio, de quo nobis sermo est, agitur, verum Deus falem ibi præcipit, ne parentes liberos cum Ethnicis Deo abominabilibus conjungi permittant, sed paternâ curâ impediunt. III. Argumentantur: Conjugium primorum parentum merito ceteri normam ac formam, ad quam alia conjugia legitime instituenda: primorum vero parentum conjugium eo modo fuisse institutum, ut nec Adam solo suo arbitrio sibi quæviserit sponsam, nec Eva sponsum, sed Dei voluntate intercedente, qui patris loco Evam, tanquam filiam suam. Luc. III. 38. Adamo adduxit, & ampla cum dote eandem ipsi elocavit, esse ergo & hodie juxta hanc normam legitima conjugia instituenda. Verum præter quod Eva Dei filia ibi in nimis remoto & tropico sensu appelletur, isto argumento nihil amplius evincitur, quam quod pium & honestum sit ad nuptias suas parentum adhibere consensum, nequaquam vero quod adeo necessario ille adhiberi debeat, ut alioquin nuptiæ sint ipso jure nullæ, hoc enim nullâ validâ consequentia inde demonstrari potest. Hinc quod adducitur IV. de honore & obedientia Parentum Exod. XX. 12. Dent. V. 16. Matth. XV. 4. Ephes. VI. 2. & quod liberi per omnia & in omnibus illis obedire debeant, Coloss. III. 20. ejusdem quidem non tamen majoris ponderis est, nempe ex reverentia erga parentes teneri liberos eorum consensum implorare, nullitate vero, si contra fece-

MAGISTRATUM IN NUPTIIS LIBERORUM. 5

fecerint, matrimonium eorum laborare, exinde planè non colligitur. Ita quoque V. ex *Exodi XXII. 16. & 17.* ubi dicitur: *si seduxerit quis virginem nec dum desponsatam, dormieritq; cum ea, dabitur eam & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, dabit pecuniam juxta modum dotis;* nulum concludens argumentum necitur, quia à stupro ad matrimonium nulla valet consequentia, cum in stupro deficiat consensus conjugalis, & tantum vaga libido adest. Argumentum VI. quod ex Num. *XXX. 4. & 5.* adducitur: *Si pater votum filiae ipsi Deo factum, id quod majus est, potest infringere, quidam infringeret promissionem matrimonialem filiae, quia quid minus est iterum nullius consequentiæ est.* Nam vota implentur ex bonis & commodo patris, matrimonia obligant solas personas contrahentium, ergo facilius illa quam hæc à patre improbari possunt. Denique VII. ab exemplis sententiæ suæ robur adsciscunt; nam Agar accepit filio suo Ismaeli uxorem de terra Ægypti. *Genes. XXI. 21.* Abraham ablegat Eleazarum ad conciliandas filio Isacco nuptias, *Genes. XXIV. 3.* Isaacus filium Jacobum mittit in Mesopotamiam, ut uxorem de filiabus Laban accipiat, *Genes. XXVIII. 1.* & angelus consuluit Tobiae, ut à patre Raguele uxorem ducat. *Tob. VI. 16.* Sed hæc & alia exempla nihil nisi consuetudinem gentibus in hoc negotio usitatam probant; quod illæ vero divinam quandam sanctionem, quæ præcessisset, secuti fuissent, plane non evincunt. Cum itaq; omnibus his ratiocinationibus nihil, quod debebat, probetur, nemo nobis vitio vertet, quod decidendi autoritatem in hoc negotio nullam quoq; illis tribuamus, sed ita potius concludamus: Jure Divino positivo nihil in hoc casu additum esse juri naturali, sed id quoque disponere ut reverentiæ & honoris paterni habeatur ratio, & propterea liberi ad nuptias suas adhibeant parentum consensum, ac quod secus facientes in conscientia graviter peccent, & quoque in

6 DE CONSENSU PARENTUM SUPPLENDO PER

foro soli puniri possint, nequaquam vero quod etiam eorum matrimonium nullum sit. Grot. *de J. B. & P. Lib. 2. c. 5. §. 10. n. 3.* Eichel. *de jure Parent. & Liberor. §. 37. & 38.* Dn. Stryk. *Tr. de Dissensu Sponsal. Sect. 5. §. 41.* Lauterb. *Coll. Theor. Pr. tit. de R. N. §. 31.* Hahn. *ad Wesf. d. 1. n. 3. verb. horum enim consensus.* Dn. Theod. Pauli *Diss. de Consensu Parent. ad nupr. liberor. qu. 7.*

At J. C. Justiniano est ipso jure nullum.

VI. Ut jam ad leges humanas & primum Jus civile Justinianicum transeamus, ex eo evidenter constat, patriæ potestati tribui, quod sine consensu illorum parentum, in quorum potestate sunt liberi, contrahere nequeant nuptias, sed potius sine illo contractæ sint ipso jure nullæ *pr. §. 12. J. de Nupt. L. 2. 18. 35. ff. de R. N. L. 12. C. eod. L. 11. ff. de statu hom. L. 1. C. de rapt. virg.* adeo ut nec filiusfamilias miles sine eo nuptias contrahere possit, *L. 35. ff. de R. N.* quia ob patriam potestatem filiusfam. nec velle creditur, nec quicquam aliud agere potest. *L. 4. ff. de R. J. ut & liberi ex nuptiis talibus nati sint illegitimi §. 12. J. de nupt. L. 11. ff. de Statu hom.* Nec hisce obstat *L. 1. §. ult. ff. de liber. exhib.* ubi dicitur: adversus interdictum, quo patribus olim jure potestatis patriæ licebat agere ad exhibendam filiam, scilicet alicui viro nuptam, competere exceptionem, ne bene concordantia matrimonia jure patriæ potestatis turbentur. Nam ibi J. C. non de matrimonio ob defectum consensus paterni illicito loquitur, sed de legitimis nuptiis, quæ ob patriam potestatem non debent turbari, pro quibus verba textus: *bene concordantia matrimonia faciunt;* quæ bis in *d. §. proposita* leguntur. Sande *Lib. 2. Decis. Frisc. Lib. 1. def. 4. §. Quod Ulpianus.* Cothmann. *Vol. 1. Respons. 1. n. 101. segg.*

Pariter & Jure Canonico.

VII. De Jure Canonico difficilior est inspectio, nam propter decretorum varietatem modo hæc modo alia sententia eligitur, & Canonistæ communiter statuunt, eo jure paren-

MAGISTRATUM IN NUPTIIS LIBERORUM. 7

parentum consensum in nuptiis liberorum tantum ex honestate requiri, non ex necessitate. Gonzalez. *ad X. tit. de Despons. Impub. c. 1. n. 10. seq.* Sanchez. *de Matrim. Sacram. Lib. 4. Disp. 22. n. 3.* Andreas Valleng. *Paratit. Jur. Can. L. 4. tit. 1. §. 9. n. 2.* quibus Concilium Tridentinum accedit, quod anathemate ferit eos, qui affirmant filiorum filiarumve matrimonia sine consensu parentum irrita esse, & parentes ea irrita facere posse. *Sess. 24. de Reform. matr. c. 1. de clandestin. matr.* quod tamen Ecclesia Gallicana nunquam approbavit, sed suæ dudum receptæ sententiæ tenacius semper adhæsit, nullum & irritum tale matrimonium pronuntians Franciscus de Roy *Inst. Jur. Can. L. 2. tit. 9. §. 4.* Heig. *qu. 22. n. 23.* vid. Theod. Beza *Tr. de repud. p. 218.* Quod Jus Canonicum attinet, verior nobis videtur sententia isto jure æquè ac jure civili aded necessarium esse parentum consensum, ut absque eo contractum matrimonium sit ipso jure nullum, tum quia inter Jus Civile & Canonicum nulla regulariter statuenda differentia, *c. 1. X. de nov. op. nunc* tum quia id, quod diximus, expressis textibus Juris Canonici fundatum est. Ita enim Evaristas Pontifex in *c. 1. C. 30. qu. 5.* disertis verbis scribit: *Aliter legitimum non sit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam faminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur uxor, petatur, & à parentibus & à propinquiorebus sponsetur.* Et deinde: *si aliter prasumpta conjugia, non conjugia sed adulteria vel contubernia vel stupra aut fornicationes potius erunt,* quod æquè explicandum ac Jus civile dicitur *§. 12. J. de Nupr.* nec vir, nec uxor, nec liberi legitimi, nec dos erunt. Idem evincitur ex aliis parallelis textibus *c. 3. C. 30. qu. 5. c. 12. 13. & 10. C. 32. qu. 2.* Et in marginalibus *c. 12. C. 32. qu. 4.* hæc habentur: *Paternus consensus desideratur in nuptiis, nec sine eo legitima nuptia habentur.* Item: *Aliter non sit legitimum conjugium, nisi à parentibus tradatur.*

VIII. Hu-

Responde-
tur ad tex-
tus obsta-
tes.

VIII. Huic sententiæ non obstat *c. Sufficiat. 2. C. 27. qu. 2.* ubi dicitur: sufficere secundum legem solum eorum consensum, de quorum conjunctionibus agitur. Non enim ibi particula exclusiva consensum parentum respicit, sed opponitur conjunctioni carnis, ac id innuit, quod solus consensus contrahentium absque concubitu ad essentiam matrimonii sufficiat. Nec obstat *e. 23. X. de Sponsal.* nam ibi solus consensus muti non quoad exclusionem consensus paterni requiritur, sed quoad exclusionem verborum, ut mutus & surdus, quia verbis voluntatem suam declarare non potest, eam tamen alio quovis modo declarare possit, & ita solus consensus in matrimonio ejus sufficiat. Fortius videtur urgere *c. 6. X. de Raptor.* ubi proponitur: militem rapuisse aliquam à parentibus, postea tamen, antequam cum ipsâ concumberet, eandem sibi desponsasse, & rescribit Lucius III. Papa: *Raptorem hunc dici non debere, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamant.* Deciditur ergo ibi, puellam invitis parentibus abductam & vitiatam à marito recedete non debere, quod vel singulare est in isto casu, eo quod nimis acerba videretur conjugum post longam consuetudinem disjunctio, vel totum decretum Pontificis iniquitatis accusandum est, & ideo ad universale axioma conficiendum non sufficiens Arniseus *de Jure Connub. c. 3. S. 10. n. 22.* Ziegl. *ad Lancell. L. 2. tit. 11. §. 2. verb. quanquam honestè.* Brouwer. *de Jure Connub. L. 1. c. 9. n. 7.* Sande *L. 2. tit. 1. def. 4. §. Quod attinet.*

Ratio cur
utroq; hoc
jure Paren-
tum consen-
sus sit neces-
sarius.

IX. Ex jam adductis constat, utroque jure tam civili quam canonico, nuptiis, quæ destituuntur parentis consensu, negari suum effectum, quod ex juris conditorum voluntate fluxit, qui voluerunt, ut per parentes consensus ipsius Reip. declaratur, utpote cujus interest, ne quid liberi ex amoris amentia Republica vel familia indignum suscipiant. Hoc ipso

ipso tamen libertati matrimonii nihil adimitur, nam ea demum est genuina libertas, cum possis ea, quæ velis; ex dictamine rectæ rationis & sub certa lege licita, unde liberi adhuc retinent facultatem contrahendi matrimonium, lege saltem restrictam, ne nubant indigno. *Grot. de Jure belli & pac. II. 5. 10. n. 2.* Dn. Becman, *in Pol. Parall. c. 7. §. 2. Et in Consp. Pol. c. 8. p. 37.* Quod horum jurium hodiernam Praxin attinet, nec ea aliter matrimonium liberorum pro legitimo agnoscit, quam si intervernerit Parentum consensus, non quidem amplius ob patriam potestatem, ut est de Jure Romano, sed ob reverentiam & pietatis officium, quo liberi erga parentes obligantur. Cæterum cum hoc officium æquale sit & perinde matri ut patri à liberis debeatur. *Exod. XX. 12. ad Ephes. VI. 1. & 2. L. 6. ff. de in jus voc. L. 4. C. de Curat. Jurios. L. 4. C. de Patr. potest.* constans est sententia, hoc casu æquè matris ac patris consensum necessarium esse. *Sande Lib. 2. Decis. Frisic. Tit. 1. def. 2.* Dn. Bruckner, *Decis. Jur. matrim. P. 1. c. 2. n. 41. seqq.* & tantum ibi voluntatem patris prævalere, si mater dissentiat in nuptiis liberorum, propter sexus fragilitatem, & quia pater est princeps & caput familiae. *Carpz. Jurispr. Eccl. Lib. 2. def. 44. Mev. P. 8. Dec. 122.* Requiritur etiam parentum consensus in nuptiis liberorum emancipatorum, cujuscunque sint ætatis, quia quoad hos quoque debitum reverentiæ salvum manet. Et mortuis parentibus primi gradus, parentum secundi gradus consensus adhibendus est, valente tamen & hic consensu avi præ consensu avix. *Magnif. Dn. Hoppe Comment. Just. tit. de Nupt. pr. in U. H. Simon van Leurwen in Censurâ forensi L. 1. c. 13. n. 9. Gerhard. Tom. de Conjug. §. 86. seqq.*

Praxi hodiernâ ob reverentiam tam patris quam matris consensus necessarius.

Etiâ in nuptiis liberorum emancipatorum & nepotum.

Nullum est matrimonium sine consensu patris.

X. Hic movenda illa quæstio, si sine consensu parentum contractum matrimonium & subsecutus concubitus, an illud adhuc de jure nullum sit? & verior est affirmantium sententia;

B

tia;

ventum con-
tractum, ut
ut concubi-
tus secutus.

tia, id ipso jure nullum esse, si inprimis parentes causam aliquam habeant, ex qua consentire nequeunt, utpote si stuprata sit malæ famæ, vilis & indignæ conditionis, si parentes jam ante concubitum expressè dissenserint, & alia similis, quia convenit hoc tam legi Divinæ Exod. XXII. 10. 17. quam humanæ §. 12. *J. de Nupt. L. II. ff. de Statu hom. c. Aliter C. 30. Qu. 5.* ipsaque ratio dicitur, vitiosum per æquè vitiosum confirmari aut purgari non posse. Et quamvis alias matrimonium summum favorem mereatur, ita tamen eidem favendum est, ne peccatum inducatur & liberi ad delinquendum invitentur, qui, dum scirent, parentes non amplius matrimonium impedire posse, si ad corporum commixtionem processerint, sædam libidinem nefario ausu expleturi essent. Sande *d. l. 2. tit. 1. def. 4. Dn. Stryk. de dissensu sponsalicio Sect. 4. c. 1. §. 32. Et Sect. 5. §. 42. Bruckner. P. 1. Decis. matrim. c. 2. n. 73.*

Aut sacer-
dotalis co-
pula.

seqq. Et c. 4. n. 53. Proinde nec aliter statuendum esse putamus, etiamsi matrimonium sine consensu parentum initum benedictione sacerdotali consummatum sit, neque enim permittendum liberis, ut Ecclesiæ autoritatem in suam malitiam allegent, aut Ecclesiæ ritu parentum reverentiam prostituunt. *arg. L. II. ff. de Statu hom. Lauterb. Coll. Theor. Pr. tit. de Sponsal. §. 14. Et 44. Dedeken. Vol. 3. Consil. theol. Sect. 4. n. 40.* Equidem fatendum utroque casu in plerisque Consistoriis contrariam sententiam receptam esse, ut publica scandala evitentur, quæ tamen si secundum regulas juris examinanda, subsistere non potest. Interim ubi ea obrinet, effectus quoque ex delicto liberorum manet, qui est obligatio ad pœnam, quæ vel carceris, emigrationis ex provincia, vel juxta nonnullorum locorum statuta exhereditatio esse solet. *Willkühr der Stadt Danzig. P. 1. c. 2. art. 4. Gerhard. d. l. §. 99. Dedeken. d. l. n. 41. Dn. Stryk. d. Sect. 4. §. 33. Carpz. Lib. 2. def. 54. 60. Et 61. Cypr. de Sponsal. cap. 10. §. 10. Müller. ad Struv. Ex. 29. th. 23. lit. k.*

XI. Quic-

MAGISTRATUM IN NUPTIIS LIBERORUM. II

XI. Quicquid vero in utramque sententiam ex jure communi hoc in casu disputetur, ut liberorum protervia, qui saepe paternis consiliis recalcitrant, & contra propria commoda laborare inveniuntur *L. 4. C. de Sponsal.* castigetur, & parentes in familiam ac facultates suas, multo labore quaesitas, indignam personam recipere non teneantur, consensus tamen paterni quorundam superiorum Constitutionibus tanta habetur ratio, ut ubi neglectus fuerit, non tantum sponsalia carnali copula confirmata, sed & matrimonium per benedictionem sacerdotalem consummatum annullanda sint. Ita enim *Edictum Electorale Brandenb. von Verlobnüss und Eh. Sachen de 20. 1694. de 15. Decembr. §. 7.* disponit: Dingenen verbiethen wir Krafft dieses nochmahls / daß sich keine Kinder / Söhne oder Töchter / ohne Unterscheid ihres Alters / condition und Standes ohne Vorwissen und Einwilligung ihrer Eltern / als des Vatern der Mutter / und da die nicht mehr vorhanden / des Groß-Vaters und der Groß-Mutter / und nach diesen der Vormünder (jedoch so ferne sie rechtmäßige Ursache *in casu dissensus* haben) verloben sollen. Und wenn gleich solches geschehen / soll doch solches Verlobnüss / ungerachtet ob dasselbe in anderer Leute als Gezeugen Beyseyn geschehen / und die Partheyen einander Mahlschätze / Ringe / Geld und dergleichen darauff gegeben / oder sonst dieselben mit hochbetheuerlichen Worten und Schreiben / oder auch wol gar durch eydliche Verpflichtung abgehandelt / *paeta dotalia* darüber auffgerichtet worden / für heimlich gehalten / und von unserm *Consistorio* vor unkräftig und unbündig erkant / die Personen auch in unsern Landen nicht getrauet werden. Et §. 15. *ibid.* Wäre es auch Sache / daß gleich wie bereits oben Erwähnung geschehen / das *matrimonium absq. parentum consensu per carnalem copulam & benedictionem sacerdotalem* von den Kindern heimlich und *de facto* vollzogen worden / so

Prior tamen sententia stabilita Edicto Electorali Brandenb. burgico.

B 2

so

folll in der Eltern freyen Willen stehen/ ob sie einen von vorgedachten Wegen erwehlen/ oder bey unserm *Consistorio* umbgängliche *Cassation* und *Auffhebung* solcher Ehe anhalten wollen; inmassen denn dergleichen Beginnen nicht allein *sub lege punitiois*, sondern auch nach Gelegenheit der hiebey etwa vorkommenden Umstände / gar *sub lege annullationis*

Et Brunsvicensis.

hiemit außdrücklich verborhen wird. Pariter Serenissimi Ducis Brunsvicensis in Ducatu Guelpherbytano solenni Edicto Ao. 1693. d. 4. Jan. nullitatem contra sponsalia inuitis parentibus contracta publicarunt, licet illis copula carnalis accesserit. Alibi tamen aliâ poenâ irreverentes liberi puniuntur, uti placuit Magnifico hujus Civitatis Senatui bonorum paternorum aliarumque successionum privationem contra liberos tales statuere, id enim volunt verba Edicti de Ao. 1708. d. 18.

Edictum Magnifici Senatus Guelphonicis hâc de re.

Decembr. sequentia: Wenn es sich hinführo zutrüge / daß eine Tochter bey Leben ihrer Eltern / oder eines von beyden ohne derselben Vorwissen und *consens*, oder nach beyder Abssterben / wenn die Tochter noch im Jungfrauen = Stande ist / ohne ihrer nechsten Bluts = Freunde / Vormünder und *Curatoren* Vorwissen / und auff vorgängige ordentliche Anwerbung erfolgte deroselben Einwilligung sich unterstehen möchte / zum Manne öffentlich oder heimlich zu verloben / dieselbe soll alsdenn aller ihrer Güter / die entweder schon ihr eigen sind / oder die ihr noch künfftig durch Erbschaften zufallen möchten / verlustig und bestanden seyn; dergestalt / daß sie weder über die *Proprietät* und *Eigenthum* derselben in einigerley Weise zu *disponiren* / noch von dem *Usufructu* das geringste zu genüssen haben / sondern solche Güter denen zu beordneten *Curatoribus* in Händen bestellet werden sollen / welche selbige denen aus dergleichen unordentlichen Berheyrrathungen kommenden Kindern zu gute *administriren* und *auffheben* sollen. Sals aber keine Kinder daraus erfolgen / oder

oder dieselbe vor denen Eltern in der Minderjährigkeit mit Tode abgehen möchten / soll das hinterlassene Gut denen nächsten Verwandten *ab intestato* zugekehret werden. Mit gleichmäßiger Straffe sollen auch die Söhne in solchem Fall / so lange sie nemlich in der Eltern Gewalt oder unter Vormündern stehen / angesehen werden. &c

XII. Est igitur & jure civili & canonico, jureque statutario ac communi praxi, tanta autoritas consensus paterni in liberorum nuptiis, tantaque necessitas, ut non possint, si velint legitimum & auspiciatum matrimonium contrahere, illum præterire. Havemann. *Gamol. Synopt. L. 1. tit. 3. Pos. 1.* Brouwer. *de Jure Connub. L. 2. c. 24 n. 11. seqq.* Absit tamen ut concedamus, his juribus sine ullo discrimine à mera voluntate parentum pendere liberorum conjugum, ut & sive causam habeant sive nullam obstrepere possint illis nubere volentibus. Quando enim liberts ad hoc idonea est occasio, & hi officium suum faciunt, debitaque reverentia parentes implorant, ut consentiendo approbent illorum matrimonium, at illi non solum nullam ejus rei curam suscipiunt, sed planè ex morositate vel avaritia aut alia tutili causa reluctantur & liberorum honesto desiderio obstant, tunc sanè ferenda non erit hæc parentum iniquitas, sed consulendum illis erit alia ratione, ut matrimonium, quod ex Dei institutione apertunt, consummare valeant. Havemann. *d. l. tit. 2. pos. 3.*

Cessat tamen autoritas paterni consensus parentum, si ex futile causa fiat.

XIII. Quid autem in tali casu faciendum liberis, & qua ratione justum eorum propositum promoveri possit, ad præsens institutum pertinet, ut paulo pluribus à nobis exponatur. B. Lutherus *Tom. V. Jenens. Germ. libr. de Caus. matrim. p. 254.* ita consulit liberis: ut primo rem deferant ad proximos agnatos, qui persvadeant patri, ne jure patriæ potestatis abutatur, nec commodis liberorum desit. Is si se il-

Consilium B. Lutheri, quid tunc faciendum.

lorum intercessione commoveri non patiat, porro monet, ut negotium hoc Ecclesiæ ministro referant, qui patrem officii sui ex verbo divino admonet, si hunc non audiat, rem dicit deferendam ad causarum matrimonialium iudices, quo cogant morosos parentes ad edendas causas recusati consensus, & si sine causa sufficienti dissentire pergant, ut paterno nomine eos indignos pronuntient, eorumque loco matrimonii contrahendi facultatem liberis faciant.

Leges & Constitutiones, quibus permittitur liberis contra duos parentes implorare iudicem, ut suppleat parentum consensum.

XIV. Prius Consilii est, quando liberi ad agnatos & Ecclesiæ ministros remittuntur, nec id facile omittendum, ut ostendant, se omnino nolle ut aliqua ex parte lædatur reverentia paterna, quin malle prius omnem lenitatem tentare, quam parentes per iudicem ad consentiendum cogere. Posterius autem, nempe aditio iudicis, juris est, quia parentibus annuendum non est, quando contra liberos suos injuriam inducunt, *L. 4. ff. de Inoff. testam.* sed in tali casu iudex loco parentum pro nuptiis liberorum consensum dare potest. Ita vero hanc in rem expresso textu in *L. 19. ff. de R. N.* constitutum legitur: *Qui liberos, quos habent in potestate injuria prohibuerint ducere uxores vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, ex Constitutione Divorum Severi & Antonini per Proconsules Praesidesque provinciarum coguntur in matrimonium collocare & dotare.* In eundem sensum extant Imperatorum Constitutiones in *L. 1. II. 18. C. de Nupt.* Ac idem volunt quorundam locorum constitutiones Ecclesiasticæ. De constitutione Saxonica von *Ch. Sachen* vid. tit. von *Ch. Verlobnüss.* Supra citatum Edictum Electorale Brandenb. §. 3. hæc verba habet: *Wenn nun ihre Kinder sie umb Erlaubniß sich mit gewissen Personen ehlich zu verbinden, in kindlichem Gehorsam und Demuth ersuchen und bitten würden / sollen die Eltern sie ohne gnugsame erhebliche Ursachen daran nicht hindern.* Et §. 4. *Dafern nun die Eltern und Kinder sich derowegen mit*

mit einander nicht selbst vergleichen könnten/soll es alsdann/ und ehe noch von den Kindern *purè* etwas verbindliches fürs genommen wird / bey unserm *Consistorio* gesucht / und das selbst nach Willigkeit verglichen oder entschieden / und also der Eltern *Consens* nach Gelegenheit der Fälle und Umstände von der Obrigkeit *ex officio* suppliret / und diesen Personen sich mit einander zu verloben / und das Verlöbniß durch gewöhnliche *Copulation* und *Beywohnung* zu vollziehen verstattet werden. Ita quoque in supra citato *Edicto Senatus Gedanensis* statutum : *Indessen* ist hiedurch denen Töchtern / welche zur Ungebühr von ihren Eltern oder nächsten Blut-Freunden / Vormündern und *Curatoren* in ihren Rühr-Jahren von der Ehe entweder möchten abgehalten / oder denen wider ihren Willen ein Mann würde wollen aufgedrungen werden / unbenommen / solchen an einen Rath zu dessen Erkenntniß gelangen zu lassen / wie denn auch im übrigen es bey der Willkühr verbleiben wird. Vid. Willkühr der Stadt Danzig. P. I. c. I. art. 4.

XV. Huic *suppletioni* magistratus ob stare nequit *patria potestas*, quasi ab ea sola stet *approbatio conjugii liberorum*, ut alioquin id legitimum videri nequeat. Verum *præterquam*, quod ut supra jam dictum §. 9. hodie non ex vi *patriæ potestatis*, sed ob *reverentiam* erga parentes eorum *consensu liberi indigeant*, quoties parentes abutuntur sua potestate, quæ in pietate, & non in atrocitate consistere debet L. 5. ff. ad L. Pomp. de Parricid. & contra officium sum, ex quo obligantur ad procurandam liberis honestam nubendi occasionem Exod. XXXIV. 16. Deut. VII. 3. Jerem. XXIX. 6. L. 19. ff. de Ritu nupt. peccant, privantur sua potestate, & magistratus, qui communis pater est L. 4. C. de Defensor. eodem effectu supplet consensum parentum, ut perinde sit ac si ipsi parentes consensissent. Proinde nec *matrimonium*

monium ita à liberis contractum dici poterit illegitimum. Carpz. *Lib. 2. Def. 53.* Kitzel. *Synopsi matrim. c. 4. theor. 4. lit. g.* Bruckner. *Decis. matrim. P. I. c. 3. n. II.* Richter. *Decis. 3. n. 50. seqq.* Brunn. *in Jure Eccles. L. 2. c. 16. §. 5.*

Debent liberi antequam celebrant sponsalia, magistratui adire.

XVI. Itaque sine læsione reverentiæ paternæ tali casu contra morositatem & duritiem parentum liberi implorare possunt judicem. Hoc tamen videtur necessarium, ut prius quam sponsalia celebrent, magistratum adeant, non postquam sponsalia mutuo consensu celebraverint. *d. Edict. Brand. §. 4.* Debet enim intentio adeuntium magistratum esse, ut coram eo querantur ob iniquitatem negati consensus paterni, & ut ille, institutâ inquisitione super causa dissensus, si eam injustam esse cognoverit, loco parentum consentiat, ipsisque sponsalibus debitam formam adhibeat. Alias præposterè & repugnante rei natura proceditur, & quod præcedere ac principium esse debet, in fine & pro consequenti collocatur, quod proinde in jure nostro invalidum reputatur *§. 14. §. de Inust. stipul. L. 4. ff. de Excus. tut. L. 25. C. de Testam. L. 5. C. de hered. act.* Ut taceamus sponsalia tali modo contracta clandestina esse, ad quæ dirimenda sufficit sola paterna displicentiâ, licet ejus nulla causa allegetur, quod Gerhardus insignis Theologus *Tom. de Conjug. §. 80.* his verbis explicat: *Interim tamen si clandestina desponsatio, præsertim inter liberos minores, præcesserit, sufficit hæc ipsa ratio, quod liberi mandatum de honorandis parentibus neglectum habuerint, sequè ipsos è patria potestate temerè subducere voluerint, neque cogendi sunt parentes, ut præter hanc alias etiam rationes adducant.* Add. Carpz. *P. 4. C. 20. D. 14. & in Spr. Eccl. L. 2. def. 57.*

Causa hac sui cognitionem requirit

XVII. Est ergo causa hæc, in qua liberi magistratum adeunt, ita comparata, ut sui cognitionem requirat. Nam non statim audiendi liberi, quod dicant, parentes sine causa consentire nolle, nec parentibus favendum, quod saltem allegent, sibi

MAGISTRATUM IN NUPTIIS LIBERORUM. 17

fibi nuptias liberorum displicere, sed debent graves dissensus sui causas allegare & eas probare. Ex illarum enim & personarum circumstantiis judicabit iudex, quid pro liberis vel parentibus decidendum sit, & ita se temperare poterit, ne vel honori & observantiæ parentibus debitis quid detrahatur, vel ne liberis matrimonii occasio præcidatur. Hinc morosos & duros parentes commovebit, ne potestate sua abutantur, neve vota liberorum nimium differant *L. 12. ff. de Sponsal. L. 19. ff. de R. N.* vicissim & liberos adhortabitur, ut parentibus, quandoquidem justâ causâ dissensus deficiant; tamen gratificentur, tandemque his omnibus tentatis, si inter illos amicè negotium componi non potuit, videbit pro qua parte judiciali auctoritate pronuntiandum sit. Petr. Heig. *P. 1. q. 22. n. 65. seqq.* Ex Statutis nonnullorum locorum res ita determinata, ut parentes demum dissentienti causas allegare teneantur, si liberi jam sint majorenes; si adhuc minorenes sint, etiam non allegatis causis ipsis dissentire licet, ita ut solus dissensus nuptiis contrahendis impedimento esse possit. Grönwegen *de Leg. abrog. pr. J. de nupt. n. 2.* Schilter. *in Inst. Jur. Canon. L. 2. tit. 10. §. 8. in not.* Cothmann. *Vol. 1. Resp. 1. n. 228. seqq.*

Parentes nonnunquã causas sui dissensus allegare non tenentur.

Causæ, quæ hic profertur, ad tres classes revocantur.

XVIII. Quænam vero sint justæ & sufficientes dissentienti causæ, cum certo jure definitæ non sint, iudex pro suo arbitrio & discretionem determinabit. Nos illarum, quæ communi Dd. calculo approbatæ, hic mentionem faciemus, & ad tres classes eas revocabimus, quarum prima erit earum, quæ ad dissentendum pro justis reputantur, altera earum, quæ ad dissentendum non sufficiunt & ob quas liberi à magistratu consensum impetrare possunt pro nuptiis celebrandis, tertia clasís continebit causas, ob quas iudex, etiam parentibus non dissentientibus, tamen pro illis consensum supplere imploratur, ut nuptiæ liberorum valeant.

C

XIX. Quod



*Iusta causa
dissen-
diendi
sunt. 1. Di-
sparitas Re-
ligionis.*

XIX. Quod primam classem attinet, iusti dissensus paterni causa est disparitas religionis sponſi à sponſa. Non agimus hic de totali Religionis diversitate, quæ inter illos est, qui sunt extra Ecclesiam, videlicet inter Christianos & Turcas, Gentiles ac Judæos, nam inter hos ex more populi Christiani matrimonium planè non conceditur. *L. 6. C. de Judæis & Cælic. L. 16. C. de Episc. Audient. L. 5. C. de Sponsal. c. 16. & 17. C. 28. qu. 1. Gerhard. d. l. §. 337—394.* quamvis in primitivâ Ecclesia contractum rescindendum non fuerit, ut infidelis per fidelem converteretur & propter liberos sanctificaretur *1. Cor. VII. 12, 13, 1. Petr. III. 7. Haveman. Gamol. Synopt. Lib. 2. tit. 4. pos. 1.* sed agimus de illorum diversitate, qui intra Ecclesiam Christianam sunt, & tantum in quibusdam fidei articulis non conveniunt, ut sunt Lutherani, Reformati & Pontificii, his enim per Pacificationem Religionis permissum est contrahere inter se matrimonium. *Instr. Pac. Osnabr. Art. 5. §. 1.* quod in casu matrimonii Lutherani cum Reformata imprimis procedere multis argumentis deducit. *Dn. Thomal. in der Erörterung der Ehe- und Gewissens-Frage.* &c. Hic igitur est quæstio, si supponatur patrem idèd resistere liberorum matrimonio, quod personam ducere velint diversam à sua religione, an is quod lege non prohibitum, ob aliam tamen piam rationem inhibere possit? & putamus patri hoc casu justam intercedendi rationem esse, tum ne ad aliam religionem seducantur liberi. *1. Reg. XI. 2. 2. Chron. XXII. 3.* tum propter rixas & jurgia, quæ diversitas religionis inter conjuges parit, cum uterque suæ fidei fundamentis communes liberos imbuere, & ad se quasi trahere summa contentione studet. Videri poterit patri, quòd, quia in Domino contrahendum est matrimonium. *1. Cor. VII. 39.* id in tali casu à liberis suis non fiat, dum se suamque fidem à recto tramite devianti committant, nec cum conjunctis

junctis precibus Deus à talibus conjugibus adorari possit *c. 15. C. 28. qu. 1.* hinc & filium vel filiam suam socium fieri non posse divinæ humanæque rei cum eo qui discrepat à vera fide *L. 4. C. de Crim. expil. hered.* Accedit, quod sponsione Deo facta in baptismo liberorum, se pater obstrictum sentiat invigilare, ne quid permittat, ut in fide & professâ religione periculum illi incurrant. Unde patet, quamvis in thesi matrimonium inter personas diversæ religionis non improbandum videatur, in hypothesi tamen & quando ad specialem casum deventum, unum & alterum scrupulum supervenire posse non omnino contemnendum, qui si patrem moveat, ut matrimonium liberorum improbet, statuendum erit pro patre, quod ex justa causâ intercedat. *Gerh. d. l. §. 388. Dedekenn. V. 3. Sect. 10. n. 1. seqq. Müller. in der ungerathenen Ehe c. 4. qu. 2. Dunte de Casib. Consc. c. 19. qu. 34. Brouwer. de Jure Connub. L. 2. c. 21. n. 9. & c. 24. n. 17. Carpz L. 2. def. 6.*

X X. Præbet II. Parentibus justam dissentienti causam, si persona cum qua matrimonium inire liberi cupiunt, sit moribus turpis, maculatæ vel inhonestæ vitæ *arg. L. 12. ff. de Sponsal.* Quamvis quidem disparitas status inter liberum & ancillam, senatorem & libertinam, quæ olim obstabat matrimonio *pr. J. de Nupt. L. 23. 27. 42. §. 1. L. 44. 58. ff. de R. N. jure novo non amplius illud impediât. Nov. 78. c. 3. Nov. 117. c. 4.* & in primis Jure Canonico personarum conditio non attendenda sit *c. 1. X. de Conjug. serv.* adeo ut eo jure laudabile quoque esse putetur, & inter opera charitatis referatur, meretricem ex lupanari extrahere, & in uxorem ducere, ut & hoc opus in remissionem peccatorum proficiat. *c. 20. X. de Sponsal. & matrim. ibiq.* Gonzalez Tellez. attamen si in personæ conditione magna dissimilitudo, ex qua in integram familiam grande dedecus redundaturum sit, puta si fœmina scenica vel ancilla, aut procus subulco, liCTOR, nothus

II. Magna conditionis disparitas.



vel spurius sit, parentes qui detestantur cum tali persona liberorum matrimonium, utpote moribus turpe, non rejiciendi erunt; nam tali turpitudine & alter conjugum obnubilatur, ac pater ipse afficitur, cujus tamen interest ex honesto genere vel nuru expectare nepotes. *Cypr. de Sponsal. c. 6. §. 4. n. 3. Carpz. Def. 62. n. 4. Simon van Leuwen in Censura forensi L. 1. c. 11. n. 22.*

III. Delictū
à persona
jungenda
commisum.

XXI. Est Parentibus III. justa dissentendi causa, si persona liberis jungenda delictum aliquod commiserit. Hinc recte rejiciunt foeminam ab alio viciatam quam filius in uxorem petit. Fœda enim in puellis nequitia est pudorem suum alienis libidinibus prostrernere *L. 20. C. de adult.* quas inprimis commendat virginitas, quæ semel amissa, nunquam restituitur *L. un. C. de Raph.* & viduas incontinentiæ macula deturpat; quare perquam durum & acerbum esset, patrem virum gravem & honestum non audire, qui resisteret habendæ nurui corruptæ pudicitæ, Nec eam apud patrem excusare potest, quod blanditiis ac stupratoris perjuris decepta sit, aut peccatum suum deploraverit, suæque improbitati renuntiaverit, quia turpis persona manet. *arg. L. 27. C. de Inoff. Testam.* nec poenitentia suâ stuprum infectum fieri potest, sed ejus delictum remanet, utpote quod non frequens scortatio, sed unicus concubitus contraxit. *arg. §. 4. J. de publ. jud.* Ex adverso pater etiam sponsum illum rejicit, qui antehac foeminam stupravit, nam & hujus delictum est, ex quo ejus existimatio apud graves viros laborat, & metuendum est, ne in stupratam resuscitatus amor faciat propriam uxorem pertasam. *Brouwer. d. Tr. c. 24. n. 13. §. 15.* Rectè etiam rejiciunt parentes personam furti, prævaricationis, falsi, insidiarum vitæ parentum structarum, diffidationis aliisque criminis accusatam & convictam. Cum enim ob

talia

886

talia crimina juris infamia contrahatur *L. r. ff. de his qui nor. inf. L. 7. ff. de Publ. jud.* censuram impietatis aut pertinaciæ mereri nequit, qui aspernatur affinitatem personæ infamis Harpr. *ad pr. f. de Nupt. n. 253. van Leuwen. d. l. n. 4. Dede-kenn. Vol. 3. Sect. 4. n. 3.*

XXII. Audiendi sunt Parentes, si IV. is, qui filiam *IV. si quis conjugem petit, non saltem nihil possideat, sed & ob artis inidoneus & opificii incitiam vel negligentiam nihil acquirere nec un- ad susinen- quam emergere possit, adeoque inhabilis sit ad onera matri- da onera monii ferenda. Sequuntur enim contractum matrimonium matrimonij multa onera, ut uxoris & familiæ sustentatio, filiarum do- tatio & alia. vid Müller. ad Struv. Ex. 29. ib. 56. lit. o. quæ omnia sustinenda à marito, qui consequenter in ea consentit electo matrimonio L. 61. §. 5. ff. pro Socio L. 7. pr. L. 76. ff. de Jure dot. L. 20. C. eod. Si ergo ea ferre non possit, Pa- rentes omnino audiendi erunt, cum dissentiendo à liberis de- clinare velint durissimum egestatis & penuriæ telum, quod rixarum & jurgiorum fecunda mater est, ut & hac ratione consulatur Reip. cujus interest, ne ex inconsideratis nuptiis in eam inducatur paupertas. van Leuwen d. l. n. 2. Schilter. in Inst. Jur. Canon. Lib. 2. tit. 10. §. 6. Et hinc non contem- renda consuetudo Genuensium, quâ fœdus conjugale pan- gere volentibus injungitur, ut coram Consistorio vitæ suæ rationem reddant, & qua arte quibusque modis vitæ suæ su- stentationem querere velint, exponant. Quod si in hoc de- ficiunt, matrimonio nondum consummato, prohibentur, eo autem consummato urbe ejiciuntur, Arnisaus de Jure Con- nub. cap. 3. sect. 12. n. 7.*

XXIII. Ejusdem valoris est ratio, si V. procus sub *V. si procus prætextu matrimonii bonis sponsæ infidietur, nec tam filiam bonis sponsæ amet, quam patris divitiis quarat. Contra hunc enim præ- infidietur. sumendum est, fore ut bonis tristem & prodigalem faciat*

C 3 exitum,



VI. Si liberi
vel altera
persona
morboſa.

VII. Si inter
parentes &
liberos lites
oritura.

VIII. Si
dolo induc-
ta
filia.

exitum, familiamque ſuam brevi extitutam paupertatis domicilium & miſeriarum obſonium. Huc pertinet VI. ſi filius vel filia adverſa valetudine laboret, propter quam vel difficileſe partus vel alias infaſtum conjugium metuendum, vel ea perſona, cum qua liberi conjungi cupiunt, ſana non ſit, ut evitetur, ne pars ſana eodem morbo afficiatur. Cauſa VII. eſt, ſi ſuſpicio ſit ex matrimonio contrahendo inter parentes & liberos lites & rixas orituras eſſe. Cothmann. *V. 1. Reſp. 1. n. 241—254.* Menoch. *Conſil. 69. n. 43. 44. 66.* Bruckner. *Deciſ. matrim. P. 1. c. 2. n. 135.* Carpz. *Jpr. Eccl. deſ. 62. n. 3. ſeqq.*

XXIV. Ita pater ſuo conſenſu rectè dedignatur nuptias filia, ſi VIII. ea dolo induc- ta ſit ut conſentiret in procum, puta quando homo infimæ fortis aut deperditæ fidei nobili & honeſtæ virgini perſuaverit, quod nobilis quoque ſit, & poſtea ejus fraus & impoſtura detegatur. Quamvis quidem ignobilitas per ſe cauſa non ſit parentibus ut juſte diſſentiant, uti ſeqv. §. dicitur, cauſa tamen erit ſufficiens, ſi prætextu nobilitatis quis alliciat aliquam ad nuptias, quam defraudare poſtea oſtenditur. Havemann. *Camol. Synopt. Lib. 1. tit. 8. poſ. 3. n. 2. p. 100.* In nullo enim negotio exuberantior fides quam in matrimonio adhiberi debet, ob arctiſimum ſocietatis vinculum, quod inter conjuges contrahitur; at ubi fides talis exulat, & dolus cauſam negotio bonæ fidei dedit; hoc omnino ipſo jure nullum dicendum erit, ne frauduloſus alias fructum ex ſua malitia reportet *L. Et eleganter 7. ff. de dolo malo L. 16. §. 1. ff. de Minor. L. 3. §. f. ff. pro Socio.* Et hoc caſu ſi ipſa filia dolo comperto retractet ſuum conſenſum, ne quidem conſenſiſſe intelligenda erit, quod Pontifex agnoſcit; qui in *f. c. 26. X. de Sponſal.* ita ſtatuit: *Quoniam ex altera parte dolo ſolummodo adſuit, & deſicit omnino conſenſus, ſine quo cætera nequeunt ſædus perficere conjugale.* Si ca vero proco ſuo

MAGISTRATUM IN NUPTIIS LIBERORUM. 23

fuo condonet & forte sua contenta esse velit, patri tamen hoc casu adhuc iusta intercedendi causa erit, quia in eo satis gravi injuria affectus, quod dolosus ille malis artibus filiam suam patriæ potestati subducere conatus fuerit, ut eum abjecto cultu reverentiæ jam publice virum expetere & efflagitare sustineat. Basil. Monner. de matrim. cap. 2. n. 10.

XXV. Lustratis hisce causis, ex quibus parentes iuste impediunt nuptias liberorum, transeamus jam ad alteram classem earum causarum, ob quas impedire nequeunt liberos nubere volentes. Ex his l. referimus Inæqualitatem dignitatis personæ, honestæ tamen, cum qua, liberi matrimonium contrahere satagunt. Non itaque iusta causa est dissentiendi parentibus nobilibus, si filia ignobilem in matrimonium sibi cooptet, & ejus amore adeo detineatur ut nulla persuasione abstrahi possit. Quamvis enim publice interfuit, ut ordinum dignitas familiarumque salva sit. L. 1. §. 13. ff. de Inspic. ventre. ad accidentalia tamen matrimonii illa saltem dignitas & nobilitatis qualitas pertinet, quæ abesse possunt, si aliquin sua substantialia adfuerint. Quod in inverso casu, ubi filius nobilis ignobilem, honestam tamen fœminam, ducere velit, tanto minus dubii habet, quia ipsa uxor hoc casu per maritum nobilitatur, & liberi ex ejusmodi matrimonio procreati patris conditionem sequuntur, ac nobiles non plebeji nascuntur L. 8. ff. de Senator. L. ult. C. de Incol. Carpz. Lib. 2. def. 56. van Leuwen. d. c. 11. n. 23. Rhet. Medic. Instit. Disp. s. pos. 25. Havemann. Gamol. Synopt. Lib. 1. tit. 5. pos. s. n. 3. segg. Quod limitandum tamen putant, si statutum provinciale extet, quo vir nobilis ignobilem ducere prohibetur, ut ab utroque latere propagetur nobilitas, vel si nimia disparitas inter sponsum & sponsam sit, ut si nobilis vel ex patricia familia oriundus fœminam cauponariam ducere velit. Nam hic parentum maximè intererit, ne accessione

Non iuste
dissentiunt
parentes ob
l. ignobilitatem
sponsi
vel sponsæ.

actio
matrimonii
agitur in
matrimonio
matrimonii



sione vilis foemina evilescat aut planè obnubiletur nobilis illorum dignitas. Gerhard. *loc. de Conjug. §. 106.* Cypr. *de Sponsal. c. 13. §. 36. n. 5.* Perez. *ad Cod. tit. de Dignit. n. 16.* Wurmler. *Exerc. Jur. publ. 4. qv. 12.* Pulchra puella sine dote, sine fama poena hilaris est, & gaudium sardonium. Nam cui sola venus favet, spinturnicium & nugæ, inquit Brouwer *de Jure Connub. L. 2. c. 24. n. 16. in f.*

Nec Princeps si filius sibi nobilem desponsset.

XXVI. Ex quibus constat, etiam Principem intercedendi causam non habere, si filius ejus non ex illustri familia sed saltem nobilem virginem sibi desponsare velit. Ut enim regulariter nullo jure æqualitas dignitatis ad substantiam matrimonii requiritur. *Avsb. Sed novo jure C. de Nupt. Nov. 87. c. 3.* ita nec in matrimonio illustrium. *Nov. 117. c. 4.* & exempla non defunt Regum, Principumque, qui uxores ex civico sanguine prognatas habuerunt, quorum liberi æquè successerunt in Principatum, ac si ex paris conditionis femina suscepti fuissent. vid. Henrich. Salmuth. *Tr. de Matrim. Princ. cum virg. nobili.* Feltmann. *de matrim. Imparium.* Et quamvis in potestate Principis sit filius ejus, qui voluntati & legibus ejus obtemperare tenetur. vid. Franckenberg. (Bernhard Zech) *im Europäischen Herold Vorbericht p. 5.* Dn. Coccej. *de Justitia Belli & Pac. in statu regni Portugall. fund. art. 1. qu. 3.* ac ipse Princeps pater nullum habeat judicem, qui possit super causa dissensus cognoscere, in quantum tamen nemini Lex scripta extat, quæ ob inæqualitatem conditionis personæ matrimonium prohiberetur, jus mundi seu omnium hominum, vid. Lucanus *10. 471.* dictaret, causam illam non sufficere ad impediendum filii matrimonium.

Quid matrimonium ad morganaticam contractum.

XXVII. Est species matrimonii cum persona inæqualis conditionis & sub inæqualibus pactis contracti, quod dicitur matrimonium Lege Salica vel ad Morganaticam contractum, & maxime inter illustres personas usurpatum, quando Prin-

Princeps, qui habuit uxorem ex illustri stirpe natam, & ex ea suscepit filios nonnullos, post ejus obitum aliam vilioris conditionis mulierem ducit, ea lege, ne liberi ex secundo hoc matrimonio nati in principatum succedant, sed certa ipsis assignata portione bonorum, aut aliqua pecuniæ summa sint contenti, utque ipsa hæc secunda uxor sua portione assignata contenta vivat, nec unquam adpiret ad Principis conjugis dignitatem 2. F. 29. Myler ab **Ehrenbach** in *Gamologia Princ. cap. 5. §. 6.* Proprium est hoc matrimonium Principum, nec ob cessantem rationem, quæ est, ne multitudine sobolis illustri Principatus dissipentur, minusque commodè illustri dignitas conservetur, ad privatos extendendum, maximè cum desint exempla, quæ ad probationem consuetudinis istud in privatis personis approbantis requiruntur. *Lynk. de matrim. Lege Salica contr. cap. 3. n. 4.* si tamen Princeps nobili alicui gratiam facere & hoc matrimonium concedere velit, non dubitandum erit, quin tunc etiam in privato locum habere possit *Dn. Stryk. in not. ad Brunn. Jus. Eccles. L. 2. c. 16. §. 6. inf. & de Dissensu sponsalirio Sect. 5. §. 72.* *Havemann. Gamol. Synopt. L. 3. tit. 3.* Si itaque supponamus nobilis alicujus filio fecisse Principem facultatem contrahendi matrimoniummorganaticum, pater ejus justam dissentienti causam non habebit, quod filius velit vilioris conditionis feminae nubere, quia legitimum intendit matrimonium, & inæqualitas conditionis nullum parit impedimentum. Utur autem matrimonium admorganaticum sit secundum alicujus conjugium, ex quo eo minore rationem dubitandi subesse videri posset, quod liberi ad secunda vota transeuntes consensu parentum non opus habere intelligantur, quia per primas nuptias exierunt ex patria potestate. Attamen quia parentum consensum ex reverentia illis debita adhibere tenentur, nec ipsum jus civile quoad istum consensum distingvat inter primas & secundas

Non est pater nobili juveni dissentienti causa, si istud filius ejus contrahere velit.

D. *argel. es. 2. moim*

cundas nuptias *L. 18. ff. de R. N. L. 7. 18. & 20. C. de Nupt. Cyp. de Sponsal. c. 7. §. 13. Sande Decis. Frisc. L. 2. tit. 1. def. 3.* filius adhuc obligatus erit petere consensum à patre pro nuptiis morganaticis.

II. ob pauperitatem sponsi vel sponse.

XXVIII. Non est II. iusta dissentiendi causa Paupertas sponsi vel sponsæ, cum consideratio fortunæ & divitiarum ad substantialia matrimonii non spectet, sed saltem ad ejus accidentalia referatur, quæ ne quidem spectata à contrahente præsumuntur, nedum si extra contrahendum matrimonium sunt, id ipsum impedire debent. *Carpz. Jpr. Eccl. L. 2. def. 55. n. 7. Lauterb. Coll. Theor. Pr. tit. de R. N. §. 29. Excell. Dn. Marcus Rhode. Diss. de Jure Pauper. th. 7.* Perinde vero hic est, qualitercunque quis pauper dicatur, an à defectu bonorum & patrimonii, an ab officii aut cognatorum divitum carentia, aut defectu certæ quantitatis, quæ quandoq; ad certa negotia expedienda requiritur, prout alias Dd. variè ob varias juris & quæstionis circumstantias pauperem & paupertatem definire solent, occasione *L. 10. ff. de Accusat. Glossa ad Nov. 53. c. 6. in voce pauper. Menoch. de A. J. 2. c. 65. n. 1. Mascard. de Prob. Concl. III 4. n. 35. seqq.* nam per pauperem in genere hic intelligimus personam, quæ tantum in bonis non habet, quantum ad ipsius sustentationem pro ratione conditionis & vitæ suæ requiritur. Modo tamen & altera persona non pauper sit, & ita ipsa remedia onerum matrimonii sustinendorum non profus deficient, videlicet quia vir pauperem puellam petens artem aut opificium aliquod callet, ex quo se suosque alere possit, vel quia pater puellæ dotem dare potest, nam etiam in tali casu, ubi pater sine causa dissentit, eum ad congruam dotem dandam jura cogunt *L. 19. ff. de R. N.* Alias si ab utraque persona nihil ad sustentationem conferri possit, sed utraque domicilium paupertatis ingredi velit, rectè pater intercedit prohibendo eorum matrimonium. *§. 20. supra.*

XXIX.

XXIX. Disquiritur III. an pater ob avaritiam, iracundiam, rixositatem, contumaciam aut alios malos mores proci filiam prohibere possit, ne ei nubat? sed eum non posse ratio est, quia non patri sed filiae cum tali male morato vendendum est, quae si ejus mores ferre non dubitet, aut plane confidit, se sua lenitate mores ejus mutaturam esse, patri non sufficiens indignandi causa erit. Alia ratio esset, si proci malis moribus etiam ipsa filia corrupta esset, ut patrem contemneret & aufugiendi a domo paterna consilia ageret, tunc enim non minori jure gauderet pater, quam dominus contra corrumpentem servum suum, quem ob injuriam ex corruptione servi sibi illatam convenire, ac multo magis a commo exinde sibi quaesito repellere potest. *L. 1. pr. L. 9. §. 2. ff. de Servo corrupt.* Brunnem. *Diff. de Servo corrupt.* Brouwer. *d. c. 24. n. 18.*

XXX. Ex his judicari potest, si IV. persona, quam petit filius vel a qua petitur filia sit facie deformis, utpote quae ex variolis mutata, aut amissione oculi vel nasi deturpata, vel si ista persona insigni oris foetore laboret, ut ingrata sit conversatione, de quo foetore & ejus causa JCrus agit in *L. 12. §. 4. ff. de Edil. Edict.* an pater hanc ob causam obistere possit liberorum matrimonio? Equidem non diffitendum, grave esse deformem ferre, & credi communiter, raro in corpore deformi habitare bonum animum, juxta Ecdori Poetae Graeci versus apud Stobaeum:

Faciem aspectu deformem habens.

Mores etiam consentaneos habes.

Ut proinde quoque si post sponsalia deformitas supervenerit, jure Canonico alteri parti concedatur facultas a sponsalibus recedendi c. *Quemadmodum 25. X. de jurej.* quod Canonistae non tantum de deformitate, quae cum mutilatione membri conjuncta accipiunt, sed & de ea, quae tantum in facie accidit.

cidit. Sanchez. *de matrim. lib. 1. disp. 57. n. 4.* Basil. Ponce *de matrim. L. II. c. 17. n. 5.* Verum quoniam iterum hic non causa parentum, sed liberorum agitur, & hi non illi socium vel sociam sibi quærant, si gnari istius vitii non repudiant talem personam, sed probant cum illa futurum conjugale fœdus, non putamus à parentibus allegatam deformitatem ad impediendum liberorum conjugium sufficere. Est mera præsumptio mali animi ex facie aut corpore deformi, multis exemplis elisa & ratione destituta, quia animum non format corporis structura aut figura, sed eum præparat ratio & intellectus, quibus æquè corpus deforme habitaculum est, ac formosum est animo depravato & gravissimis vitiis inquinato. Cui itaque in puella placet morum & animi gratia, & quam in proco natura fautrix in tribuendis animi virtutibus movet, res salva est, posse cum tali persona veram animi conjunctionem intervenire, quæ sufficit ad contrahendum matrimonium in individuum vitæ consuetudinem *L. 30. ff. de R. J.* Quare uxoribus Cneji Duellii, & Hieronis Tyranni Siracusani mariti earum non erant exosi ob oris fœtorem, quamvis, quod nihil hac de re hætenus dixissent, ab aliis reprehenderentur, quibus respondebant, se credidisse, omnès viros ita olere, innuèntes se æquo animo hoc vitium ferre. Havemann. *d. l. L. 1. tit. 5. pos. 4. n. 4.*

V. si pater
semel con-
sensit, & postea con-
sensum detra-
hat.

XXXI. Non justè dissentit pater, si V. semel petitis filix annuerit, & postea acti pœnitere, ac publice consensum præbere non velit. Quamvis veteri jure civili patri licuit mutare consilium usque ad tempus nuptiarum, & filia in potestate sua manente sponso nuntium repudii mittere & sponsalia dissolvere *L. 10. ff. de Sponsal. L. 2. §. 3. ff. de Divort. & repud.* quoniam eo jure contracta quoque matrimonia solvere & pro arbitrio à maritis filias abducere poterat pater *L. 32. §. 19. ff. de Don. int. V. & U.* in praxi tamen id minime

MAGISTRATUM IN NUPTIIS LIBERORUM. 39

nime observatur, dummodo filius vel filia non saltem con-
 suluit patrem, & ex eo tacente, aut quia toleravit procum
 domum suam sæpe frequentantem, & filiam puellam, quam
 ambit, visitantem, collegit consensum, sed plane illis, cum
 procius vel ejus cognati sponsaliorum consensum stipularentur,
 assensus fuerit. Ex tali enim consensu jus liberis qua-
 situm est, quod illis invitis amplius adimi non potest. *L. Sicur. s. C. de O. & A. L. II. ff. de R. J. L. II. ff. de S. R. P. L. ult. ff. Commun. pradior.* Et hoc sensu intelligendi textus
 Juris Romani, in quibus pater suo consensu contractum ma-
 trimonium, invitâ filia dissolvere prohibetur. *L. 1. §. 5. ff. de
 exhibend. liber. L. 18. C. de Imoff. Testam. L. 5. C. de Repud.*
 add. ex Jure Canonico *c. 1. X. de Desponsat. impuber. c. un. C.
 31. qu. 3.* Sanè si post datum consensum novæ & graves causæ
 supervenerint, quas ab initio ignoraverat pater, non erit, ut
 tunc dissensus ejus improbetur, quia si illas ab initio scivisset,
 nunquam liberorum conjugium approbaturus fuisset. conf.
 supra cit. *Edsch. Electoral. Brandenb. von Verlobnûß und Ehe-
 Sâchen §. 6. Carpz. lib. 2. def. 59. Harpr. pr. J. de Nupt. n.
 231. seqq. Brouwer. d. c. 24. n. 6.*

XXXII. Nec justis causis dissentendi annumerari po-
 teit, si VI. pater causetur, se, quod meliorem conditionem
 filia obventuram speret, in has nuptias consentire non posse
 Quid enim si non ex vago & juvenili amore filia appetat
 nuptias, sed quia probè novit, quod patri, cujus familia ad
 ancitas redacta, difficile sit alere ipsam cum aliis liberis, à ma-
 rito verò facilius sustentari possit? quid si non prima vice sed
 jam aliquoties pater ex isto prætextu distulerit nubendi oc-
 casionem? semperne annuendum patri, & annon filia ex-
 pectandi anni, qui formam faciei subtrahunt, & quibus la-
 bentibus illa ad parandum & thalami consortium inhabilis
 sit? minime hoc erit ferendum, ut tam acerbè pater exerceat
 patri-

VI. Si pater
 differat ny-
 ptias filia ex
 prætextu
 melioris
 conditionis
 obtinendæ.

patriam potestatem, sed deferendum filiæ, quæ petit, ut iudex pro patre consensum suppleat, nam patris est culpa, quando filiæ majori non procuravit sponsum, si ipsa post modum sibi maritum quærat. *Nov. 115. cap. 3. §. 11.* Ita pater

VII. Si nunquam curam filie habuerit.

VIII. Quod liberi clam patre amaverint.

VII. non justè dissentit; si nunquam curam filiæ habuerit nec in educatione, nec in elocatione, & tamen jam elocandæ contrarius apparet. *Dedeken. Vol. 3. Consil. Theol. L. 2. Sect. 4. n. 10.* Ac denique VIII. insufficientis ad dissentientium causa est, quod liberi clam patre amaverint, non tamen prætermittit reverentia patris, neglectoque honore patri debito, quia ferè hic ordo est in sponalibus contrahendis, prius tuo amore flagrare, deinde ad superiores confugere. *Brouwer. d. l. n. 19.*

Indoles causarum tertie Classis.

XXXIII. Causæ, utriusque classis, quas hæcenus consideravimus, ita sunt comparatæ, quod propter dissensionem inter parentes & liberos ad forum contradictorium pertineant, & sui cognitionem requirant. Ab his diversæ sunt causæ, quas jam ad tertiam classem referimus, quæ ita comparatæ sunt, quod quidem dissensum inter parentes & liberos, non præsupponant, attamen, quia pater ipse consentire nequit, iudicis aditionem requirunt, ut loco patris consentiat, quo legitimum sit liberorum conjugium. Ex his *prima* causa est, si Pater furiosus sit, & consentire non possit. *L. 9. ff. de R. N. L. 40. ff. de R. J.* Constitutum autem hoc casu est in jure nostro, ut, si supersit furiosi pater, ejus ut avi nepotis elocandi consensus adhibeatur, licet in avi potestate nepotes non fuerint constituti *d. L. 9.* Illo deficiente, debet adhiberi consilium curatoris Patris furiosi, & nobiliorum propinquorum, quia de his optimum præsumitur, & denique arbitrium iudicis vel Episcopi loci, ut ita suppleatur consensus patris qui ob furorè non amittit patriam potestatem *L. 28. C. de Episc. audient. L. 25. C. de Nupt.*

Ex his est si pater sit furiosus.

XXXIV.

MAGISTRATUM IN NUPTIIS LIBERORUM. 31

XXXIV. *Secunda* causa est, si pater ab hostibus captus *2. Si pater* sit, vel absens, ita ut ignoretur ubi degit; *L. 12. §. 3. ff. de ab hostibus Captiv. & postlim. revers. d. L. 9. §. 1.* hoc casu enim publica captus. nuptiarum utilitas, quæ pro interesse Reipubl. facit *L. 7. §. 3. ff. de Bon. damnat.* exigit, ut loco paterni consensus iudex se interponat, & promoveat liberorum nuptias. Restrictum tamen quodammodo hoc est, ut demum tunc liberi matrimonium inire possint, si absentem patrem per tempus legale h. e. triennium expectaverint. *L. 10. ff. de R. N. L. 2. C. de Repud.* Quamquam etiam ante hoc tempus matrimonium illis concedatur, si filius eam ducat uxorem, vel filia tali nubat, cuius conditionem patrem non recusaturum certum sit, utpote si non indignum genere vel moribus sponsam vel sponsam eligant, sed frugi & generi convenientem. *L. 11. ff. de R. N. Cypr. de Sponsal. cap. 7. §. 13. n. 1.*

XXXV. Atque hæc sunt communiores causæ, ob quas *Præter causas enarratas plures dari afferuntur, in quibus omnibus discretione iudicis opus* ad iudicem provocatur pro supplendo consensu parentum in nuptiis liberorum. Omnes respiciunt personarum desponsandarum ætatem, mores, fortunam, conditionem, vitam, familiam, religionem, paritatem & imparitatem, item parentum acerbitatem; absentiam vel affectionem. Plures adhuc dari, & novas semper pro locorum & personarum diversitate oriri posse, faciles largimur, in omnibus tamen erit iudicis arbitrium adhibendum, qui considerabit tum nuptiarum favorem, tum inconsultam liberorum inclinationem, parentum spurciciam, morositatem, prudentiam, auctoritatem, consiliumque pro liberorum salute, & tunc iudicabit, cui partium deferendum sit.

XXXVI. Hic videndum quis iudex hoc in casu *Quis iudex hic competens sit?* competens sit, coram quo causæ cognitio suscipi possit? Et quavis non ignoremus, recentiores nonnullos causas matrimoniales foro Ecclesiastico subtrahere & ad forum seculare tantum



199
32. DE CONSENSU PARENTUM SUPPLENDO PER

tantum eas referre velle, cum tamen semel in Praxi recepta sententia, quæ dictas causas etiam Judici Ecclesiastico dijudicandas concedit, optima ratione nitatur, ab ea non putamus recedendum esse. Habent enim hæ causæ originem ex jure Divino, & hunc finem respiciunt, ut matrimonium carnale nos deducat in considerationem Conjugii spiritualis inter Christum & Ecclesiam, nec non quæstiones ibi multæ occurrunt, in quibus plus conscientiæ quam scientiæ requiritur, proinde non erit ut iudicio Ecclesiastico prorsus illæ subtrahantur. Brunn. in *Jure Eccl.* L. 3. c. 1. §. 16. Carpz. *Jpr. Eccl. lib. 1. tit. 1. def. 7. & L. 2. def. 152. n. 13.* Schilter. *Inst. Jur. Canon. Lib. 4. tit. 5. §. 6.* Equidem quia causa matrimonialis mixta est, h. e. talis, quæ partim Ecclesiastica & spiritualis, partim civilis, quantum ad perpetuam cohabitationem & societatem humanam, illa quoque solummodo ad forum Ecclesiasticum referri non poterit, sed in terris Protestantium aliquando ad forum Ecclesiasticum, aliquando ad seculare pertinet. Nam aut quæstio movetur de ipsa matrimonii substantia, vinculo, jure & viribus ejus, & ad iudicem Ecclesiasticum pertinet, aut de iudicio possessorio ad reposcendam uxorem, & tunc cognitioni secularis Judicis subjacet, hinc pro diversitate quæstionis super causa matrimoniali vel iudex Ecclesiasticus vel Secularis cognoscit. Weber. de *Jure Consist.* c. 28. Sect. 18. Havemann. *Gamol. Synopt. L. 4. tit. 1. pos. 3. & 4.* Carpz. *Lib. 2. def. 1. & 147. L. 3. def. 27.* Kitzel. *Synops. matrim. cap. 10. theorem. 7. & 8.* Cum vero à Protestantibus Jurisdictio Ecclesiastica, quam solus sibi Pontifex asserit, non ubique locorum agnoscat, imo apud illos in Germaniâ Pragmatica Imperii Sanctione ea planè suspensa sit, *Pacif. Osnabrug. de Ao. 1648. art. 5. §. Jus Diœcesanum 45.* hinc territoriorum Domini eam per sua Consistoria exercent, quæ sunt Judicium Ecclesiasticum Magistratus Territorialis, in quo de rebus

Apud Protestantes ad Consistoriorum hæ cause pertinent

rebus sacris & his annexis à viris utriusque Status decernitur, ut omnia piè, honestè & sine scandalo in Ecclesia fiant. *Weber. de Jure. Consist. cap. 2. Dedekenn. Consil. Theolog. Vol. 3. L. 1. Sect. 1. n. 3. 4. 5. Reinking. de R. S. & Eccl. L. 3. def. 1. s. 10. Mev. ad Jus Lubec. Lib. 1. tit. 4. n. 40. segg. & art. 1. n. 1.* Possè tamen Principes in judiciis suis aulicis causas quoque Ecclesiasticas tractare, vel ideo certum apparet, quod, cum Jus Sacrorum Principi competat, nihil referre possit, per quem illud exerceat, cum præprimis Consistoria saltem confusionis vitandæ causa constituta sint, ut illuc pertinentes causæ cum majori sollicitudine tractarentur. *Dr. Stryk. in Usu Mod. ff. tit. de Jurisd. §. 5. & in not. ad Laurerb. p. 26. verb. Ut plurimum.*

XXXVII. Ante omnia Judex inter disidentes parentes & liberos amicabilem compositionem tentabit, quia hæc & controversiam tollit & animos litigantium mollit, ac ad suavissimam concordiæ harmoniam amabili ac plana semita reducit. Si frustra eam tentaverit & jam Processui deferendum sit, cavebit ne disidentes longis ambagibus divexentur, sed ut causa eorum, quæ matrimonialis est & favore digna, summariter & sine strepitu ac figura judicii, quæ in aliis causis observari solet, pertractetur. Intelligendum tamen hoc est, ne substantialia processus, quæ jure naturæ introducta censentur, omittantur, nam citatio, actoris narratio ac rei responsio omitti non potest, quia sine his Processus non esset, nisi titulo tenus & nudo nomine. *Carpz. L. 3. def. 17. & 18. Mev. d. l. art. 1. n. 7. & 8. & P. 6. Decis. 319.* nec sine illis veritas indagari & factorum circumstantiæ cognosci possunt. Nimis autem dilationes & exceptiones, quibus partes in labyrinthum ablegantur, omitti hic possunt ac debent. *Carpz. d. def. 17. n. 10. Mev. P. 2. Decis. 366.*

*Ante omnia
tentanda
amicabilis
compositio*

*Causa Pro-
cessu sum-
mario tra-
ctanda*

E

XXXVIII.

*Quid in
pronuntian-
do observan-
dum judici*

XXXVIII. Cognitâ causâ liberorum, Judicis est, rem ita temperare, ut nec delicatula filia, nec onerosus pater & durus in re honesta curanda malo more progrediantur, sed ut quæ sunt honesta, justa & bonæ famæ cogitentur & fiant. Hinc pronuntiabit pro ea parte, quæ æquitatem majorem aut melius jus pro se allegavit, & liberos vel à petito suo dimovebit, vel illis dabit licentiam contrahendi matrimonium, tanquam desertis à patre, quem prætereâ ut contemptorem Dei & publici commodi pœnæ, pro qualitate contumaciæ & malitiæ suæ, subjiciet. *Dedeken. Vol. 3. Consil. Theol. L. 2. Sect. 4. n. 15.* In quantum tamen fieri potest, rem ita semper moderabitur, ut salva & illæta maneat reverentia paterna, quia est æquius filium ex patris, quam patrem ex filii more vivere. *Mev. d. art. 1. n. 9. seq. Heig. P. 1. qu. 22. n. 65.* ac facilius approbabit parentum judicium, si agatur de filia elocanda, quam filio collocando, quia filius errans in eligenda sponfa facilius prudentiâ mores ejus corrigere, & familiæ, ne ruat, prospicere potest, quam filiæ viro subjectæ præcavere, ne deperditorum morum maritus familiam suam ad angustias redigat.

*Justum &
legitimum
est matrim.
liberorum
in quo pa-
rentum con-
sensum sup-
plevit judex*

XXXIX. Si cognoverit causam dissentienti parentibus nullam esse, loco parentum consentiet, & liberis matrimonium contrahendi facultatem dabit sententiâ suâ. Hi si contraxerint matrimonium, id omnino legitimum ac justum dicendum erit, quia contractum est secundum modum à Legibus præscriptum, eruntque legitimi conjuges vir & uxor, quia, velut justè possidet, qui Autore Prætoris possidet *L. 11. ff. de A. vel A. Poss.* ita etiam justè uxorem habet, qui eam Autore Prætoris habet. *Harpr. pr. J. de Nupt. n. 146. Brouwer. de Jure Connub. L. 2. c. 24. n. 43. seqq.* Exinde suâ sponte sequitur, viro ex tali matrimonio competere marita-

lem

lem potestatem in uxorem, 1. Cor. XI. 3. Arnifaus de Jure
 Connub. c. 7. Sect. 1. cessare inter hos conjuges simplicem do-
 nationem, 1. ff. de Don. int. V. & U. Corvin. in Aphor.
 Jur. Canon. Lib. 2. tit. 15. liberos ex talibus parentibus pro-
 gnatos esse legitimos, L. Nuper. ii. C. de Natur. Liber. illisq;
 jura liberorum legitimè natorum competere, quæ sunt, quod
 sint in patria potestate pr. J. de P. P. fiantque eorum ju-
 rium, quæ ab ea dependent ac dignitatis paternæ partici-
 pes S. f. J. de Nupt. §. 1. l. per quas pers. cuique acqv. L.
 fin. C. de Impub. & al. subst. L. 5. ff. de Senator. quod ab opi-
 ficiis non excludendi, sed illis dandæ literæ natalium, quod
 ex legitimo thoro & honestis parentibus sint nati. Carpz.
 P. 2. C. 6. def. 15. quodque à parentibus exheredari non pos-
 sint, sed illis mortuis ab intestato succedant, Nov. 118. c. 1.

XL. Possêt dubitari, an pater in tali casu filiam suam
 dotare teneatur? Pro negativa facit, quod iniquum videatur
 patrem cogere, ut eos facultatibus suis juvet, qui se ejus po-
 testati præfractè subducunt, rerumque suarum liberum ar-
 bitrium ei admittunt. Nec quæri posse maritum filię, quod fili-
 am alius alere teneatur, quia sibi imputare debet, quod il-
 lam non alendam parentibus reliquerit. At verior est affir-
 mativa sententia, ut parentum iniquitas castigetur. qui, si
 saltem sine dote filias suas aliis alendas relinquere cogeren-
 tur, hoc forsitan parum æstimaturi, quin sæpe pro compendio
 reputari essent. Cumque hoc matrimonium liberorum
 legitimum æque sit, ac quod consentientibus parentibus con-
 tractum est, dos non minus in illo ac in hoc danda erit. Unde
 forsitan his rationibus commoti, necessitatem dotis dandæ
 Divi Severus & Antoninus lege sanxerunt, uti ex Constitu-
 tione illorum Marcianus JCrus refert in L. 19. ff. de R. N.

An pater
 tali casu fi-
 liam suam
 dotare te-
 neatur? Aff.

Hinc & juxta hanc legem in utraque Facultate Theologica & Juridica Ao. 1642. d. 14. Octobr. Helmstadii pronuntiatum esse, his verbis: Und ist / die dritte Frage zu beantworten / mehr gedachter Vater Cajus auch in diesem Fall seine Tochter Sejam mit einem ehelichen Brautschatz / seiner Güter Beschaffenheit und ihrem Stande nach / zu versehen schuldig / refert Hahn *ad Wesf. Tit. de Sponsal. n. 4. §. Tunc autem dissentendi* Add. Brouwer. d. l. n. 37.

*Nisi furiosi
vel dementis
filia sit,
quæ ita con-
traxit nup-
tias*

XLI. Castum excipit Imperator, si furiosi vel dementis vel mente capti filia interveniente Curatoris ac superiorum consensu contraxit nuptias, tunc enim ex substantia furiosi aut dementis nullam dotem determinandam esse, sed omnia gratis procedere debere statuit, ne tale hominum infortunium etiam expensarum detrimento prægravetur *L. 28. C. de Episc. Aud. L. 25. C. de Nupt.* Dotem quidem tali filię constituendam esse non ibi negat Imperator, verum à Præside vel ab Episcopo, non ex bonis Patris, quod an in Praxi obtineat, non sine causa dubitat Gothotr. *ad. d. L. 28. lit. d.*

*Ut si dissen-
sientibus
parentibus
hoc matrim.
contractum
sit, illi ta-
men adhuc
à liberis ho-
norandi*

XLII. Exinde vero, quod contra Parentum vorum liberorum matrimonium Judex approbaverit, minimè illorum honori ac reverentiæ quid detrahendum est, sed quia ejus causa perpetua est, illi adhuc ad eos honorandos & reverentiam illis præstandam obligati manent æque ac si adspirantibus illis conjugium iniissent. De hoc honore notata digna sunt verba apud Epicæterum *Lib. 2. cap. 10. 2. Memento te esse filium, cujus professio est existimare, patria bona omnia sua esse; omnibus in rebus dicto ei audientem, nunquam eum apud quemquam vituperare: neque vel dicere vel facere quicquam, quod ei incommodet, atque etiam cedere illi in omnibus, & dare locum pro virili adjuvantem.* Propterea & in
Confi-

Constitutione Brandenb. von Verlobnüss und Ehe Sachen
S. 4. in f. hæc sententiæ inferenda jubentur: Daß beyde
Contrahenten den dissentirenden Vater oder Mutter nicht
desto weniger zu lieben / zu ehren / und gegen den oder dies
selben allen Gehorsam zu bezeugen schuldig seyn sollen.

XLIII. Sufficere hæc possent, quæ de supplendo con-
sensu Parentum per Magistratum in nuptiis liberorum com-
mentati sumus. Occasione tamen quorundam Statutorum,
quæ post fata parentum liberos obligant, ut Tutorum
suorum vel Curatorum consensum in nuptiis suis adhibeant,
adhuc binis verbis dicendum, quid obtinere debeat, si hi
consentire nolint. Jure Civili certum est, consensum Cu-
ratoris in nuptiis minorum non requiri *L. 20. ff. de R. N. L.*
S. C. de Nups. quia eo jure curator rebus non personæ datus
est, cujus officium præcipuè in negotiorum administratione
consistit, ut proinde minor suam personam sine curatore obli-
gare possit. Quoniam tamen Juventus amore occæcata sæpe in
electione conjugis cum magno facultatum suarum dispendio
decipitur, & honor pro administrationis molestia non om-
nis denegari possit curatori, Statutis cautum est, ut minores
nupturientes ejus quoque consensum implorent vid. *Revidirte*
Fürstl. Braunschweigische Verordn. d. A. 1693. d. 4. Jan. n.
1. Edict. der Stadt Danzig d. A. 1708. d. 18. Decembr. Sande
Lib. 2. tit. 1. Def. 6. Heig. qv. 22. n. 8. seqq. Quanquam hoc
ipso non tanta sit Curatorum autoritas, quanta parentum,
cum hi clandestina liberorum sponsalia convellendi, illi dun-
taxat abnuendi jus habeant *L. 10. ff. de Sponsal. Havemann.*
Gamol. Lib. 1. tit. 2. pos. 5. n. 3. Brouwer de Jure Connub. L. 1.
c. 13. n. 5. Si itaque contingat, quod Tutores vel Curato-
res dare reculent consensum adolescentibus vel puellis, Jus
quoque

*Judex eti-
am Curato-
rum consen-
sum supplet
quoties per
Statuta re-
quiritur.*


quoque contra illos implorandi iudicem, ut ipse eorum suppleat consensum, atque illis facultatem contrahendi matrimonium concedat, non denegandum erit. *d. Edict. der Stadt Danzig in fine.*

*Nec non
propinquo-
rum*

XLIV. Planè eousque procedunt Statuta, ut & Propinquorum consensum adhibendum velint. Quod quidem & Jus Civile innuit *L. 1. §. 20. C. de Nupt.* sed tamen ne horum spreto iudicium nuptias irritas faciat *L. 20. ff. de R. N. L. §. C. d. t.* uti quidem fit vigore Statutorum. Verum & horum dissentientium consensum supplebit iudex, ac tanto facilius, quandoquidem non raro, ex titillante spe minoribus succedendi, propinquos eorum matrimonio obstisse, experientia testis est Heig. *Quaest. Jur.*

P. 1. qu. 22. n. 14.

F I N I S.



ULB Halle

3


004 821 785



sb.

V318





7

I. N. 7.

DISPUTATIO JURIDICA
DE

CONSENSU PARENTUM
SUPPLENDO PER MAGI-
STRATUM IN NUPTIIS
LIBERORUM,

QUAM

PRÆSIDE

VIRO Nobilissimo, Consultissimo, Excellentissimoq̄

DN. SAMUELE FRIDERICO

WILHELMO

J. U. D. Ejusd. ac Historiar. Prof. Gymnasiiq; Inspect.

Domino Patrono suo, Studiorumque Promotore,
omni pietate ac cultu ad cineres usq; devenerando

IN AUDITORIO MAXIMO


ANNO MDCCIX. d. XIII. JUNII

horis confvetis,

Publicè tuebitur

NATHANAEL Gottlieb GNOSPIUS,
GEDANENSIS.

GEDANI, Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,
ATHENÆI TYPOGRAPHI.
Disp. XX.



15 26
875

1709, 1

7-117

